Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 773
Quelle:
Copyright:

Viro hoc celebri memorantur, indicanturque *Codices* alii Verſionem hanc noſtram continentes, cui, utut fideli, minus tamen cultae ſucceſſere Verſio *Jac. Fabri Stapul. Jac. Billii*, et haec limata denuo a *Mich. le Quien* O. P. qui cum aliis *Johannis Damaſc.* Operibus noſtrum titulo: Ἐκδοσις ἀκριβης της ὀρθοδοξε Πιστεως edidit *Pariſ.* 1712. T. I. p. 123. Rubrica C. 1. in *Cod.* noſtro haec eſt: *Quam incomprehenſibilis eſt deus. et quam non oportet querere et circumſcrutari que non ſunt tradita nobis a ſanctis prophetis et apoſtolis et ewangeliis.* Initium vero: *Deum nemo uidit unquam. Vnigenitus filius dei qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit* &c. Finis: *indeficiens id quod ab ipſo eſt gaudium fructificantes. Explicit damaſcenus.*

IV. *fol.* 273. p. 2. *Incipit de ſpiritu et anima.* Initium: *Quoniam dictum eſt mihi, ut meipſum cognoſcam* &c. *Cod.* CCXXV. Tractatum hunc produximus ſub *Auguſtini* nomine, inter cujus Rejectanea etiam legitur edit. *Maur.* T. VI. *Append. col.* 35. Extat tamen etiam apud *Hugonem de S. Victore*, in cujus edit. *Rotom.* 1648. T. II. p. 135. *Librum II. de Anima* conſtituit et *Capitibus* 33. definitur, in quorum 18. et 19. unitis finitur in *Codice* his verbis: *aliud non ſit quam ratio;* quae ſunt poſtrema *Capitis* 33. in edit. *Maur. ſupracit.* cujus autoribus Compilatio haec tribuenda videtur *Alchero Claraevall.* Monacho. Vide *praevium* eorum *Monitum.*

CCXXXIX. VI F. 22

Codex membraneus lat. Sec. 406 XII. Folior. 157. 4. probe ſcriptus, rubricisque ſignatus Varia complectitur, quae ſuo ordine ediſſeremus. I. *In Nomine domini. Incipit Liber Sancti Auguſtini De Quatuor Virtutibus Caritatis.* Eſt Sermo in illud *Pauli* ad *Cor.* I. 13. *Caritas omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*, quae 4. κωλα Noſter *quatuor Virtutes* adpellat. Abjudicatus *Auguſtino* legitur in *Append. Opp.* T. V. edit. *Maur. Pariſ.* 1683. *col.* 190. Incipit: *Deſiderium caritatis ueſtrę a nobis exigit debitum ſermonis officium* &c. et finit: *fructum in uobis inueniat operis. non folia laudis.* Lectio in *Edit.* perfectior.

II. *fol.* 7. *Incipit ſermo ſancti Auguſtini De Penitentia.* Ita inſcriptus legitur etiam inter *Homilias Caeſarii Arelat.* numero XLIV. *Bibl. PP. Lugd.* T. VIII. p. 859. Neutrius tamen eſſe cenſent Autores *Hiſt. Lit. Franc.* T. III. p. 228. Quoniam vero bonae notae eſt, et in *Bibl. ſuprac.* principio mancus, quae ibi deſunt, e *Cod.* ſupplebo. *Admoneo Fratres in conſpectu dei timore ueſtro timorem meum. Qui autem non timet, timentem me contempnit. ſed malo ſuo. Audite ergo quę dicturus ſum. Certus ſum quia homo baptizatus ſed uitam non*